Digitized by Google

SERMO IVSSV SERENISSImi Luſitaniæ Regis ab Antonio de Souſa de Macedo, à ſecretis Status Miniſtro, in modum propoſitionis habitus, coram Eccleſiaſticis, Cathedraticis alijſq; Regni Luſitani Doctrinæ celebrioris viris, in divi Frãciſci Cænobium Vlyſſiponenſe convocatis, die 8. menſis Martij anno 1663.

DOCTISSIMI, RELIGIOSISSIMI, & graviſſimi Viri,

CELSISSIMVS ac potentiſſimus Princeps Alphonſus Rex & Dominus noſter (quẽ ſoſpitet Deus opt. max. ſervetq; nobis lõgâ ſerie annorum ac fortunatâ) vim armorum ſuorum, & ingenitæ pietatis triumphum uno eodemq; tempore oſtentando, non ſine dolore animi; quippe ſubditorum ejus ſpiritualis mœror cumulatius excrevit, Cõſeſſum huncce illuſtrem convocavit, ut tot malis, quæ patimur, ærumniſq; tanquam parens clementiſſimus, remediũ ſalutare opponeret.

Olim innotuit, haud ſine doloris ſenſu, non Luſitanis modò, ſed omnibus quoq; altiùs impreſſo, quantum damni, religionem Chriſtianam in quatuor mundi partibus incolæ profitentes è defectu Epiſcoporum accipiant. Et certò tanti mali per-

nicies ſpatio viginti duorum annorum & amplius gliſcit latiùſque diffunditur. Eccleſiæ Præſulibus ſuis viduatæ lugent; grex Chriſti vagus attonitoq; ſimilis oberrat; integræ hujus Regni provinciæ, & quotquot Inſulæ per immenſa Oceani ſpatia diſperguntur, terræ quoq; quas Luſitanorum invicta virtus huic regno fideique Chriſtianæ peperit, Confirmationis, omneſq; propemodum Unctionis extremæ ſacramenta deſiderant, oleo ſacro deficiente, cujus uſus in Sancti Baptiſmatis ſolẽnibus ceremonijs etiamnũ deſit. Haud minùs difficulter Ordinis Sacramento inſigniuntur, quibus neceſſe eſt è terris lociſq; procul diſſitis ac remotis ad hanc urbem, hujus rei ergò, accedere; quũ illud Sacramẽtũ è labore & propẽſiori ad rẽ Chriſtianam procurandã animo Epiſcopi titularis unicè unici, & jam provectæ ætatis viri pendeat; quo ſemel fatis concedente, hoc quoque, & ſimiliter Pœnitentiæ ac ſanctæ Communionis, cui Sacerdotes operantur, Sacramentis nos eſſe carituros ingemiſcimus. Sed fortaſſe, quæ ſuprà memoravimus, ſaluti animarum conducentia poſtulare ac mendicare ab aliâ natione poſſimus (nam hanc quoque hoſtes noſtri malis, quibus involvimur, medelam nobis obtrudunt.) Hæc igitur ab alijs gentibus demiſsè & in morem ſupplicis Luſitania flagitabit, illa nimirum, quæ cunctarum mundi partium certè prima (ſi Judæam, & Samariam excipiant) præconium Euangelij admiſerit; cujus indigenæ à gentilitatis tenebris ad fidei lumen converſi, innocentiâ morum, & ſanctitate vitæ primi claruerint;

rint;

rint ; ubi Deo vero & viventi primum erexerit templum incolarum pietas ; ubi primus omnium conſecratus fuerit Epiſcopus;quo in regno divus Petrus Ratẽſis omnium , qui in Europâ paſſi ſunt martyrium,princeps ſanguine ſuo fidei veritatem ſanxerit ; divus Fœlix,ſi meliorum opinioni fas eſt ſubſcribere , omnium Chriſtiani nominis primus heremiticæ vitæ normam amplexus ſit;ſanctũ Roſendum Eccleſia,eâ,quæ in hodiernum diem ſervatur , ſolemnitate ſanctorum Catalogo primum inſcripſerit: Ergo ab alijs ſummiſsè petet orabitq; Luſitania,quæ omnium Regnorum princeps veritatem orthodoxam universè complexa , religionem acerrimè propugnaverit, omniũq; glorioſiſſimè protulerit fidei reverentiam,& quam Chriſtus cruci affixus ſibi in regnũ ſpeciatim erexerit; cujus deniq; indigenas miro amore ſemper foverit Deus, humanumque eos genus tanquam legis Euangelicæ magiſtros honore & veneratione fuerit proſecutum;eoque demum modo , non ſine odioſæ abſurditatis portento futurum ſit, ut mare ſalem doctrinæ ſuæ cuncto terrarum orbi antea ſolitũ impertiri ac dividere, rivulorũ aquis indigeat.

Vt tanto tamq; gravi damno inclyti Reges noſtri occurrerent,quibus modis,quâ ſedulitate ac diligentiâ uſos eſſe publica confeſſio nõ prædicabit? Romam quater misêre , duos nempe Legatos , alterum Eccleſiaſticum, ex ordine ſæculari alterũ, binos inſuper privatim delegatos,alterum Eccleſiaſtici, alterum trium Regni ordinũ nomine , qui validâ ſerie argumentorum, jure poſſeſſionis, legũ

& exemplorũ autoritate, more quoq; in paribus eventis & ſucceſſibus conſueto æquitatem cauſæ oſtenderent, probarentq; Sed Caſtellanorum Romæ non obſcurè nec leviter imperitantium violentia jus omne infregit ac proculcavit; Oratoresq; ac delegati, quos ſaltem audiri, quãquam reſponſum ſuis rebus fortaſſis minimè conducẽs accepturos, fas & ratio poſtulabant, nunquam impetravêre ut breviter locuturi ſemel admitterẽtur. Contrà utique non ſolùm illis præcluſa eſt omnis de rebus ſuis diſſerendi facultas, ſed publicè & de die in vicis Romanæ urbis primarijs, ſemel atq; iterum à percuſſoribus Caſtellanis circumventi ac violati ſunt, non ſine ſtomacho, & publicâ tam Catholicam fidem quàm diverſa profitentium offenſione. Perinde quaſi à more & uſu jam in legẽ tranſierit, graſſatoribus immiſſis reſponſionẽ legationibus dari. Quid mirum tamẽ eſt, ſi, Pontifice ipſo invito, percuſſoribus deterrimis aditus ad patrocinium & favorem in urbe ſanctâ patuerit, in quâ jure gentium agentibus loqui & audiri non liberũ eſt. Cujus moris æſtimatio gravẽ profũdiq; virũ judicij permovit ut diceret, nõ minore cũ periculo legatũ Romam aditurũ, ut Epiſcopos pro Luſitaniâ poſtularet, quàm ſi Japoniâ conceſſiſſet, Epiſcopos pro eâdem Japoniâ petiturus. O dolor, ô tẽporum & ſæculi infeliciſſimi miſera conditio!

Iteratis vicibus omnem, quam potuimus, diligẽtiã curamq; propemodũ incredibilẽ adhibuimus, interpoſitâ quoq; Regis Chriſtianiſſimi autoritate, ejuſque Miniſtrorum ope in rem noſtrã advocatâ;

ad ultimũ nihil ampliùs adipiſci valuimus, quàm ut ſanctus Pater Innocẽtius X. tres Epiſcopos de motu proprio (quãquã & illi ex nominatis ab Rege & Domino noſtro erant) præconio evulgaret. Intellexêre Caſtellani eo iniquitatem ſuam modo poſſe inumbrari, jurique eos officere, quod Corona Luſitana tam multo civium ſuorum ſanguine aduersùs infideles animosè fuſo ſibi adquiſivit, sũmiq; Pontifices æſtimatione ſeriâ populo de ſede apoſtolicâ optimè merito tã liberaliter cõceſsére. Sed hoc quoq; poſtmodũ evanuit, ſpeq; longâ, & inani, dubijs pollicitationibus, verbis ambiguis ſuſpenſi remanſimus, re nullâ exitum ſortiente.

Sanè hæc erãt argumẽta materieſq; ejuſcemodi, quæ dignitatem regiam decoris ſui nunquam non tenacem ad injuriarum ſenſum excitarent; quam certè ad rem non defuerunt domi foriſq; virorum & pietate in Deum & ſcientiâ inſignium conſilia. Verumenimvero quantum ſibi fiduciæ æquitas vẽdicat! hanc utique, quâ cauſa inclytorum Luſitaniæ Regum ſtabilita nititur, non animi averſantis indicia, non injuriæ turbavêre, ſtetit illa infracta, nec defecit in cõtentione multiplici, auroq; perſimilis igne perpurgata ſplendidiùs effulſit: quicquid illi interceſſit obſtaculi, in nebulæ more Solis radijs interpoſitæ fuit; invictiſſimi ſcilicet Reges noſtri, quum ſe victores crederent, ſiquando ſedis Apoſtolicæ reverentiâ vincerentur, omnem ſui opinionem, exiſtimationemq; ſuſpenſo in admirationem tantæ virtutis toto orbe terrarum, in patiẽtiæ gremio depoſuêre; videnturq; in memoriã re-

Digitized by Google

duxiſſe ſibi egregium magnanimi Regis Sebaſtiani facinus, qui, offerente illi maximo Pontifice Pio V. titulum, quem ipſe optaret eligeretq; aliorum more Principum Chriſtianiſſimos & Catholicos ſeſe appellantium, obedientiſſimi Eccleſiæ filij titulum prætulerit.

Verùm hodiernus ac præſens rerum ſtatus non videtur diutius pati, quin aliquid tandem ſtatuatur. Eccleſiarum regimen confuſum ac perturbatum intuemur, ſplendorem Eccleſiæ nebulis & caligine offuſum, imminens fidelium animabus periculũ, quaſq; plurimas Chriſto lucrari religio poſſet ac pietas, extra poteſtatem eſſe ut in fidei viam adducantur. Sine Præſulibus, ſine Epiſcopis mœrentes vivimus, ac fore propediem jure pertimeſcimus, ut Sacramenta quoq; deficiant, à Dei filio in utilitatem ſalutemq; noſtram, ſanguinis ſui pretio inſtituta. Parte itidem ex aliâ reputamus, (& hujuſce quidem rei æſtimatio dilucidiùs conſtantiùſq; patientiæ fidem probat) ac perpendimus adhibitam incaſſum à nobis omnimodã atq; incredibilem diligentiam, tot labores exantlatos, portas non minùs remedijs eſſe obſeratas: Siquidem debitus Regi honos violatus eſt, amor erga oves videtur extinctus, Eccleſiarum filiatio oblivione ſublata; quaſi Luſitanæ è gremio Catholico non eſſent, aut Romana matris univerſæ nomen exuiſſet. Contemptum videmus ſpretumq; gentium jus, debitum profectò ijs legationibus, quæ ſuperioribus ſæculis primarium Romæ templum Orientis divitiarum adornavêre primitijs. Harum tamen rerum nulla, non ipſa poſſeſſio duorum ſupra viginti an-

norum

Digitized by Google

norũ tẽpore firmata & ſtabilita utilitati nobis eſt: una vivit, una regnat, una deniq; triumphat injuſta, cõmodis tantùm ſuis addicta & inimica Caſtellanorum voluntas, adeoque prætumidè illi & adroganter ſe habent, ut adimere præſumant ſupremo Domino libertatem quominus, ut ille equidem optat, rationique & æquitati conſonum eſſe intellegit, poſtulantium votis optatiſque indulgeat: Quod olim inſolenter attentavêre, longâ temporis morâ intercedentes obſequio, quod Henricus magnus Galliæ Rex hujus nominis quartus ſedi Apoſtolicæ reverenter præſtitit. Bellum quoque animabus indicũt, quas, proferente Chriſto, neutiquam hoſtium eſſe obnoxias injurijs procerto eſt.

Eia tandem, doctiſſimi & illuſtres Viri, ullatenus fieri nequit, ut Chriſti Domini providentia, Epiſcopos, Sacramenta, vias & modum ſalutis, quam ille morte ſuà emerit, arbitrio commiſerit Caſtellanæ factionis: haud quaquam eſt credendum fieri poſſe, ut remedium ſorti noſtræ maliſque, quibus premimur, idoneum non reliquerit. Nos ab Epiſcopis regi, Antiſtites habere & paſtores, qui animas ad ſalutem piè ac religioſè perducant, è jure divino eſt. Sanctiſſimus Pater, Chriſti vices gerens, executorque & divinæ legis obſervantiſſimus habere nos pro derelictis non ſuſtinebit. In hoc ſanè Cõventu pietatem Chriſtianam intueri, prudentiáq; & literas affatim reperire eſt, quæ ingredientibus nobis facem præferent, ut finem optatum conſequuti Epiſcopos nanciſcamur, quos ipſemet Deus in regimen noſtrum utilitatemque inſtituit; ſervatâ,

Digitized by Google

vatâ, quam natura tribuit nobis, æquâ libertate, ſervato Rege, quem in campo Aurichienſi in noſtrum erigi voluit Deus, paucoſq; ante annos clementer nobis reſtituit, ſervatis Coronæ jure ac privilegijs, quæ ipſi Reges unàq; avi noſtri eximiâ fortitudine & meritis peperêre ſibi, ſervato denique ac imprimis obſequio & veneratione, quâ Chriſti in terrà Vicariũ percolere æquũ eſt, quamq; æternùm profeſſi, & voce pariter atq; corde proteſtati, hujus causâ mortem ſubire nequaquam recuſabimus.

Proinde ut perduci eum ad finem ſemel poſſimus, Cõgreſſum hunc graviſſimum convocãdum Rex curavit, non propoſitâ finis illius adipiſcendi viâ, ſed relictâ tot doctis & inſignibus Viris libertate, optimum quemq; modum Chriſtianâ & efficaci ratione eligẽdi, in quorum ſententiâ & opinione conſcientia Regis acquieſcet. Etenim in hac, quam modò offerre jubeor, & cæteris, quæ, ſi poſtulabit neceſſitas, deinceps offerentur, chartis extenſiùs patebit clariùſq; quicquid geſtum fuerit ſuper hac materie, quam divina Majeſtas ad obſequium ſui, quietem noſtram, animarum ſalutem, gloriam ſui nominis, ac ſanctæ fidei exaltationem velit clementiâ ſuâ dirigere.

U L Y S S I P O N E. *Superiorum permiſſu.*
Apud Henricum Valentem Oliveriam Typographum Regium. *Anno* 1663.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google